

*Appendix ad Europa Nro. 2.***Regnum Mortuorum.**

Sermo Politicus.

De eventibus in Portugallia.

23. Decembris 1807.

*Beatum est regnam, quod sapiente Principe gaudet.**Comes Oxenstir.*

Fuerat condam tempus, quo Portugallia tales Principes sapientes habuit. In capite Europae constituta, ubi, ita dicendo, nobilissima pars sedentis juxta Geographiam Virginis, silicet Occiput, repraesentatur, atque adeo geographica haec virgo Europa rationem habere deberet, et reipsa etiam diu habuit, fuerat punctum, et exigua sane plaga in massa geographica, quae magnae, potenti, et ambitiosae resistendo eapax fuerat Hispaniae.

Quis maximas detectiones in ignotis mundi partibus, quis viam per promontorium Bonae spei invenit, quam Portugallia; sed omnium, quas fecerat, detectionum maxima erat America Meridionalis. Praetor classis, promontorium viride pratervehi volens, ut ad oras Malabarcas pertingat, deflexit non nihil ad Occidentem, falicemque detexit Brasiliam. quae ab Africa minimo intervallo distat; ab terra enim Americae ad montem Atlantis nonnisi 30 latitudinis gradus numerantur. Reperit is illic magnos, bene formatos, et fortes habitatores, coloris subfusi, nudo corpore incedentes, lumbis duntaxat praecinctis; viventes ex venatione, et piscatione; more primorum Graecorum, et populorum Asiae ob minimas levitates sibi mutuo bellum inferentes; caetara pepulus bonus. Portugallia in has regiones occupatas colonias misit, quae prope 60. annis, ad annum quippe 1540 haud felici successu propagatae fuerant. Anno 1581. sub Philippo 2. Hispania occupavit totam Portugalliam. Hollandi, belle cum Hispanis impliciti, occuparunt Brassiliam, eamque ab A. 1625. usque A. 1630 tenerunt.

Portugallia, dejecto Hispaniae jugo, mox etiam intensis viribus Brassiliam Hollandis eripuit, quae provincia Portugalliae agrum, et adamantes tulit. Portugallia, bello

aeterno cum Hispania implicata, semet ex politica Angliae adjunxit. Quid eventit? Homines? quibus aurum, et ad-amantes crescebant, neglexerunt primam divitiarum mineram, nempe agriculturam, et Aurum, unionesque vix sufficiebant pro iis, quae Anglia Portugalliae advehebat, unde merito dici, Portugalliam pro Anglia in meridionali America laborasse; hinc A. 1756. quo terraemotus Olissiponem nimium exagitavit, Anglia pecunias eorsum mittere debuit. Haec est sors nationum, quae commercium alteri relinquunt, ut cum sui ipsius interitu eum divitiis cumulent.

Toto postremo bello Anglia omnia studia ad occupandam Americam Meridionalem direxit. Jam ante 3. annos misit Vagabundum illum *Miranda* pro turbando Mexico, ut attentionem Hispanorum eorsum attrahat; objectum autem principale fuerat America; Hinc orta expeditio Praetoris *Popham* contra Buenos Ayres, quae tamen propudiose cessit; Secunda contra *Mondovideo*, quae idem factum habuit. Quae dum fiebant, Portugallios in Brasilia nemo infestavit; sed volebant cum Hispanis collidere, et nunc Anglia usa occasione, quam ipsa Portugallia eidem subministravit. Princeps Regens deseruit Olissiponem, quia copiarum gallicarum adventum expectare noluit, quod inter Angliam conventum erat. Hoc pro Habitatibus Metropolis non fuerat arcanum, quia primae familiae, et earum thesauri navibus ita occulte imponi non possunt, ut nemo videat, aut observet.

Interim vulgata est per omne regnum opinio, Principem non discessurum, ast se magnanimitati Galliarum Imperatoris relicturum. Ex omnibus regni partibus convocatae sunt copiae ad littora Tagi sub praetextu, ut tentamina Anglorum retundi possint; verum 25. Novembris primo diluculo Princeps cum omni, quid quid ad aulam pertinet, cum classe avolavit, relicta proclamatione, se usque pacis universalis conclusionem in Brasiliam discessurum. Jam nunc certo tentabunt Angli in societate Portugalliae, et Brasilianorum invasionem regionum ad Platam, quibus nihil nunc antiquius est, quam Americam meridionalem Hispanis eripere, et novam per id commercio suo viam aperire.

Diarium Politicum.

Hanseatae — Angli.

Quis noverit, an nos hodie non in iisdem ingratis constitueremur circumstantiis, in quibus Angli, si nostris hanseaticis civitatibus germanicis ante 400 Annos successissent occupationes, quas Oyssipone susceperant, ut urbem hanc locum stapularem pro detectionibus suis extraeuropaeis fa-

cerent; et si eis successisset, propositum hunc assequi scopum? — Nam stropham ex Tragaedia Semiramidis possunt Angli tibi bene applicare. — *Exteri nos admirantur, nos ipsi autem suspiramus.*

Si eventus in Portugallia, Angliae cum Dania agendi rationem, et nisum Angliae, ut bellum, ut dici amat, aeternum reddat, sana ratione perpendamus, merito dicere possemus, bellum inter Romam et Carthaginem comparate ad virulentum, et ex parte Angliae ad calculum immortalitatis exactum bellum, lusum duntaxat fuisse; Interim memorant Ephemerides Anglicanae de 3. Decembris, advenisse recenter navim cum nuncio pacis ex Gallia, sed rumor hic est admodum lubricus.

Verum enim vero, quemadmodum ab grandine quae Praeemptores beat, semper aliquid remanet, ita etiam super nostra, partim calore exusta, partim frigore constricta terrae massa semper adest aliquid, quod omnem hominis existentiam (praesertim quod bonam harmoniam, pacem, et vicinitatem concernit) incomparabili modo emendare possit, nisi cultura ejus per providos Patres Patriae interficeretur, et germinatio per providas dispositiones, ut sunt ignis, et ferrum, politica, et commoda status impediretur, si arcanum istud ita notum esset, prout ars, salana tuberosa coquendi, tunc saltem triste illud fatum non super viveremus, ut nobis Angli aeternam per monopolium suum imponerent contributionem.

Sed, e. g. quod est illud arcanum? — Pax, cui quaevis potentia in corde sacrificium ferre parata est, quod tamen desiderium ob metum belli manifestare non audet Pax Universalis, re ipsa, debet esse res admodum bona, pulchra, et utilis. Quid quid ego de illa scio, volo pro nostrum omnium solatio narrare, en scribo. „Litterae privatae Parisiis de 18. hujus; Bruxellis de 19. Caletto de 18. memorant (fausta, memoria esto vera!) characteris excellentia notum Lord *Moir* ex Dover Caletum advenisse, ibidemque Passuales Parisiis, quorsum in negotiis summi momenti tendit, exspectare. Hic erat rumor Parisiis — Punctum; Caetera quisvis tibi cogitare potest. Ego ad nomen *Moir* a videor videre Mercurium ex Olympo Carthaginem ad Didonem, dum Ascanium sinu tenebat, volentem.

Res Septemtrionis.

Coalitum est in eo, ut littora baltica per adjacentes potentias obsideantur. Littora Lieflandiae, Ostlandiae, Curlandiae, et Finlandiae jam numerosae obsident russicae

copiae. Memeno ad Elbingam stant Borussi, ubi Rex Borussiae hyemem exiget. Gen. Oudinot cum sua Divisione 13000, manet Dantisci. M. Soult, inita cum Rege Borussiae conventionem redit ultra Vistulam, et regionem inter Vistulam et Oderam obsidebit; statione Stettini defixa.

Mens Sveciae adhuc fluctuat! Experientia praeteritorum notum est, politicam Sveciae semper Daniae oppositam fuisse relate ad nexum cum aliis potentiis. Svecia adhaesit Galliae, Dania vero magis Russiae, et Angliae; Nunc Dania adhaeret Galliae, ergo ex veteri principio Svecia manebit in fide Angliae.

Gallia.

Quemadmodum juxta novum sistema, quod Anglia ad ocludendas Continentis portus adoptavit, naves americanas ab aditu ad portus Continentis, quantum potest, arceat, ita etiam ex parte portuum Continentis naves, quae in Anglia substiterunt, ab accessu ad oras Continentis repelluntur; hoc factum tetigit 9. Decembris ad *Portum Gratiae*, navim, quam prius navis anglica *Plymutum* depulit, inde vero reducem, et ad portum Gratiae appellere volentem, Commendans non admisit. — Imperator Galliae per hyemem meridionales Imperii partes peragraturus esse dicitur. — Litterae Mediolanenses narrant, 5. hujus deproperasse cursum ad Landammannum Helvetiae; forte est praecursor Visitae Napoleonis in Helvetia, quae certo non foret recreationis causa. Generalis *Delaborde*, Dux secundae Divisionis exercitus Observationalis, nominatus est Commendans Urbis Olysiponensis, et Dux Copiarum tam gallicarum, quam portugallarum, quae in hac urbe sunt.

Italia.

Mediolano 5. Decembris: Non tantum regno Hetruriae, cujus sors jam decisa est, sed etiam aliis civitatibus videtur nova imminere Metamorphosis; forte conclusa Collegiorum Electivorum, quae pro 15. Decembris convocata sunt, velum removebunt. — Consiliarius Status *Dauchu*, Intendens Departamenti Transalpini, qui ad Imperatorem Venetias evocatus erat, ad Stationem suam Alexandriam radire et omnes Officiales financiales Departamenti convocare jussum est, ut cum adventuro Imperatore communi consilio laborare possint, ubi Imperator 12. exspectabatur. In congressu Collegiorum Electoralium Mediolani publicabantur ea, quae Imperator pro gloria, et salute populorum suorum Transalpinorum hactenus constituisset.